

## Séance du 03/02/20 de l'atelier Althusius - vocabulaire politique classique et dérivés juridiques

### 1. Ius operarum

**13, 14.** Quo referri possunt hominum propriorum in Germaniae quibusdam locis operae et servitia, seu **jus operarum**. Vide Husan. *de prop. hom. c. 6.* Waremund. *d. loc. c. 4.* et liberorum hominum, quatenus respectu rei possessae, vel subjectionis debentur. Rosenthal. *c. 5. conclus. 70. per l. 2. C. de quib. muner. vel praestat se nem. lib. 10.*

### 2. Regalia

**8, 53.** Uti est communis Dd. sententia. Mynsing. *cent. 6. obs. 99.* Zas. *cons. 1. lib. 1.* Roland. a Vall. *consil. 29. num. 26. vol. 1.* Wesenb. *cons. 40. num. 44. et cons. 27. num. 28, ..., Geil. lib. 1. de pac. publ. cap. 6. num. 19. et lib. 2. obs. 57. num. 7. 8.* ubi de *civitatibus imperialibus* idem dicit. Habet igitur **talis praeses jus superioritatis et regalia in suo territorio**, sed tamen absque praejudicio universalis jurisdictionis, quam princeps summus habet. Cravetta *cons. 673. n. 15. et cons. 128. n. 7.*, quae suprema et universalis jurisdictio est ipsa forma et substantialis essentia majestatis regiae.

**8, 54.** Reservari vero in tali concessione jura superioritatis et praeeminentiae universalis concedenti, ita ut talis Dux, vel praeses provinciae, a suo constituyente, potestate, autoritate differat, testatur Pistor. *cons. 4. n. 28. vol. 1.* Mynsin. *d. loc.* Roland. a Valle *cons. 1. n. 141. vol. 1.* Rosenthal. *d. c. 5. conclus. 10.* ubi addit, neque imperatorem sibi parem posse constituere, Borcholt. *in cap. unic. quae sunt regalia. n. 20.*

**8, 89.** Immediate Caesari, seu Imperio Germanico subjecti sunt, qui alium superiorem quam Caesarem, non agnoscunt. Talis vero provinciae praeses pro statu Romani Germanici Imperii agnoscitur, et provincia pro membro Imperii. I. quando matriculae Imperii, ut status, est inscripta. II. quando tanquam **feudum et dignitas cum regalibus** ab Imperio seu Imperatore illius immediate accipitur.

**10, 11.** De poena vero vitae, corporis, famae, vel bonorum, exempla varia scriptura et *tit. de poenis*, suppeditat. Hoc **jus ad regalia** pertinere, affirmat Cravetta *consil. 128. per tot.* Roland. *con. 42. vol. 2.*

**11, 4.** Prius hoc **regni speciale jus** consistit 1. in commerciis. 2. in moneta. 3. in lingua dialecto. 4. in muneribus publicis regni. 5. **in privilegiis et regalium concessione.**

### 3. Politeuma

**I, 5. Politiae** vocabulum tria praecipue significat, ut notat Plutarchus *in libro de tribus Reip. generibus*. Primum enim communicationem juris, quod est in Republica indicat, quod Apostolus **politeuma** vocat, *Philip. c. 3. 20.* Deinde significat rationem administrandi et instituendi Rempublicam. Denique ordinem et constitutionem civitatis, ad quam omnes civium actiones diriguntur, notat. Juxta hanc significationem Politiae vocem etiam *Aristoteles lib. 3. c. 4. lib. 8. c. 10. Polit. accipit.*

**V, 5. Politeuma** in genere, est jus et potestas, communicandi et participandi utilia et necessaria, quae ad corporis constituti vitam a membris consociatis conferuntur. Vocari potest **jus symbioticum publicum**.

**V, 1.** Consociatio publica est, qua plures consociationes privatae, **ad politeuma constituendum**, consociantur.

**V, 12. Politeuma universitatis**, est jus utendi, fruendi, utilibus et necessariis, inter cives ejusdem universitatis constitutis, ad vitae hujus usum et consortium.

De hac voce *Philip. c. 2. 20 et Plutarch. in lib. de trib. Reip. generibus*. Aliter accipitur a Clapmario *lib. 1. c. 10. de arcan. Rerump.* Ob hoc, **jus universitatis** etiam dicitur. Bartol. *in constit. qui sunt rebelles. in verbo. communitas. Losaeus d. c. 2. num. 33. part. 1. de jure univers.*

**V. 14.** Plene et absolute civis est, qui plenum in **universitate politeuma** habet, atque omnibus commodis et juribus loci illius, in quo civis est, uti potest, atque imperio et legibus universitatis obligatur.

**VI, 15.** Communicatio civium ejusdem universitatis inter se invicem ad autarkeian et symbiosin, est rerum, operarum, juris, et concordiae mutuae, unde **políteuma, jus civitatis symbioticum**, existit, et **civitatis jus** dicitur.

**VII, 3.** Juris communio est, qua praestatione et communicatione negotiorum et rerum, omnia, quibus vita pia, et justa, inter symbioticos provinciales colitur, et conservatur, pro indigentia et usu provinciae a singulis et universis provincialibus procurantur.

**I, 10.** Juris communio est, qua symbiotici justis inter se legibus in communi vita vivunt et reguntur. Vocatur lex consociationis et symbiosis, jus symbioticum, in autarkeia, eunomia et eutaxia potissimum consistens.

#### 4. Imperium

##### 4a. Au sens de pouvoir de commandement

**I, 12.** Nam **omnis gubernatio imperio et subjectione continetur**. Et statim ab initio genus humanum ab imperio et subjectione incepit. Adam enim dominus et monarcha a Deo constitutus fuit uxoris, ex eaque omnium nasciturorum et reliquarum creaturarum, *Gen. c. 1. 26. 27. c. 3. 16. Sirac. c. 17.* ideoque omnis potestas et gubernatio politica, a Deo esse dicitur, *Rom. c. 13.* Et nihil, ut *Cic. lib. 3. De legib.* ait, tam aptum est ad jus conditionemque naturae, quam imperium, sine quo, nec domus ulla, neque civitas, neque gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus, potest. *Pet. Greg. Tolos. lib. 6. n. 1. 2. et seqq. de Repub. Aret. 2. tom. probl. 103. et seqq.* Quod si horum **imperantium et obtemperantium** idem est consensus et voluntas, felix et beata vita eorum redditur, ad *Ephes. c. 5. 21.* Subjecti invicem in timore Domini, *Col. c. 3. 18. et seqq.*

**IV, 3.** Nam primis mundi temporibus crescente hominum genere, tanquam familia se dilatante, cum omnes cohabitare uno in loco atque una familia amplius censi non possent, necessitas coegit domicilia, pagos, vicos diversos ac sejunctos constituere, denique oppida atque civitates aliis atque aliis locis moliri, *Gen. c. 10. in fine c. 15. 5. 6. et seqq. Num. c. 1. 44. 45.* Vide Bodin.

*de Repub. lib. 1. c. 6.* Cum igitur paterfamilias ex aedibus, in quibus **domesticum imperium** habet, foras egreditur, seque cum aliis familiarum principibus ad res rationesque contrahendas conjungit, tunc certe patrisfamilias ac **domini** nomen amittit, ut socium ac civem se ferat, et quodammodo ex familia exit, ut in civitatem ingrediatur, ac pro domesticis negociis publica tractet.

**VIII, 31.** Curam et administrationem harum rerum et negotiorum ecclesiasticorum, non ad secularem magistratum, sed ad collegium horum presbyterorum pertinere, ex citatis locis scripturae constat. Quibus addo, *Actor. cap. 18. 14. 15. 16.* ubi Gallio noluit judicare de lege Dei, ejusque cultu. Adde *Deut. cap. 17. 9. et seqq.* Nam **regnum Dei** non est de hoc mundo, *Joh. c. 18.* et aliis ministris aedificatur et conservatur, *Ephes. c. 1. c. 5. 1. Cor. c. 12. 2. Chron. cap. 19. 5. 6. 7. c. 26. 7. Exod. cap. 29. 1. 44. c. 30. 7. Deut. c. 21. 5. c. 30. 9.* Novell. 123. **alia quoque forma et modo, quam seculare imperium, regitur et administratur**, *Matth. c. 9. Mich. c. 1. Jer. c. 1.* Nimirum gladio spirituali, verbo Dei, *Matth. c. 13.* Atque ut nulla potentia humana instruitur, sic nec destruitur, sed aeternum est, *1. Cor. c. 15.*

#### 4b. Imperium / ius regni, iura majestatis

**IX, 13.** Appellatur etiam hoc **jus regni** jus majestatis, hoc est, **majoris status**, seu potestatis, respectu illius juris, **quod tribuitur civitati, vel provinciae**. De varia majestatis significatione late Bornitius *de majest. politica c. 1. et Dd. ad tit. ad L. Jul. majest.* Dicitur etiam summa rerum, **imperium sacrum**, et sublime jus. Clapmarius *lib. 1. cap. 10. de arcan. Rerump.* Bornit. *d. loc. c. 13.*

**IX, 15.** Hoc **jus regni** quod diximus, *biarkeian, eutarkeian, eutaxian et eunomian* universalis consociationis, sibi proposita habet, atque ad eas singulorum et universorum membrorum suorum actiones dirigit, iisque convenientia officia praescribit. Ideo **potestas imperandi universalis** dicitur, quae aliam superiorem, vel parem, aut sociam, non agnoscit.

**IX, 16.** Juris hujus regni statuendi et se obligandi ad id, potestatem **populus, seu membra regni** consociata habent.

**IX, 19.** **Talis vero potestas regni, seu consociatorum corporum**, una semper est, non plures potestates, sicuti una anima, non plures in corpore physico imperant. Administratores potestatis hujus plures esse possunt, ita ut singuli in partem solitudinis, non in plenitudinem potestatis adsumantur. Natta *consil. 636. n. 169.* Et singuli hi **non habent penes se supremam potestatem**, sed omnes simul unam agnoscunt in consociatorum corporum consensu et concordia.

**Unde majestatis et regni jura** individua, et incommunicabilia, atque connexa Jurisconsulti judicarunt, ita ut qui habet unum, etiam reliqua habeat. Roland. A Valle *cons. 1. 138. vol. 2.* Natta *cons. 640. et 636.* Molin. *in consuetud. Paris. tit. 1. de fies. 8. 3. glos. 4. num. 16. et seqq.* Covarr. *pract. quaest. c. 4.* **Alioquin duae superioritates constituentur in uno imperio.** Vide *cap. 39. nu. 33. 6.* Natta *d. loc.* cum superioritas parem aut superiorem majoremque habere nequeat. Rosenthal. et Roland. *d. loc. Bod. lib. 1. c. 8. de Rep.* et latius dicemus. c. ult. Bornit. *de majest. polit. c. 13. c. 14.* et **imperium atque obsequium** confundi non possint. Committi vero haec jure possunt, ita ut alius in iis administrandis vices summi magistratus gerat. Bodin. *lib. 3. c. 2. de Repub.* Peregrin. *lib. 1. tit. 3. n. 72. de jure fisci.*

#### 4c. Imperium au sens de l'ordre politique d'une cité (au sens large)

Cf. I, 5 ci-dessus pour sens 2 et 3 de politia

**IX, 3.** Unde societas vitae mista, partim ex privata, naturali, necessaria, spontanea; partim ex publica, constituta atque universalis vocatur consociatio, et *en platei* **politia, imperium, regnum, respublica, populus in corpus unum, consensu plurium consociationum symbioticarum, et corporum specialium, seu corporum plurium consociatorum conjunctus, et sub uno jure collectus.**

##### Problème 1 :

- **Institutions ecclésiastiques / Institution politique : concilia oecumenica generalia / imperium, politia, regnum, respublica**

**XVII, 56.** Concilia illa oecumenica generalia **regni, seu corporis consociati**, sunt membrorum illius convocatorum conventus, in quo de **Republica** ejusque utilitate et commodis, et de remediis communibus, vel specialibus, malis communibus vel singularibus adhibendis deliberatur, et consiliorum communicatione pro salute communi aliquid concluditur et decernitur. In his itaque conciliis et comitiis generalibus **totius consociationis universalis, regni seu Reipublicae negotia** illius ardua, difficilia et gravia tractantur, examinantur et concluduntur, **uti sunt negotia et causae totum Imperium politiamve, vel membra illius** concernentes de legibus fundamentalibus **politiae**, de juribus majestatis, de contributionibus et collectis indicendis. Heig. *lib. 1. quaest. 18. n. 6.* Bod. *lib. 1. c. 8. de Rep.* et de aliis, quae communem deliberationem et consensum **totius politiae** postulant.

**57.** Concilia igitur et comitia haec, **politiae vel regni** sunt epitome, ad quam **omnia publica regni negotia** referuntur, et **a membris regni** discussa et examinata deciduntur.

##### Problème 2 :

- **Rapports Eglise / Etat (respublica, politia) : gouvernement spirituel / gouvernement politique**

**VII,20.** Licita et honesta functio dicitur, quae inservit ordini ecclesiastico, vel seculari, nobilitatis, civitatis, aut paganorum, vel, quae spectat ad conservationem trium statuum et ordinum, nimirum ecclesiae, **Reipublicae seu politiae**, vel familiae, *1. Cor. cap. 11. VII, 40.*

**VII, 53.** Ecclesiasticum munus est, quo negotia ad salutis nostrae, et bonarum artium, cognitionem pertinentia, administrantur. Hic munus quidem est ecclesiasticum, at illius ordinatio et confirmatio politica. Ecclesiastica munera varia et diversa sunt, prout cujusque **politiae**, ecclesiarumque utilitas, et aedificatio postulat.

**IX, 32.** Porro de necessitate religionis in **politia** late docet Danae. *lib. 1. polit. Christ.* quam omnium primo et praecipue gentes etiam, atque ethnici, summa attentione coluerunt. Nam a religionis divinae veneratione et metu pendent omnia opera caritatis de officiis proximo praestandis.

### Problème 3 : terminologie historique des formes politiques ?

#### **IX, 4. Nam et regni proprietas est populi, et administratio regis.**

Sic et Cicero *lib. 3. de Rep.* prout citatur ab August. *lib. 2. de civit. Dei. c.21.* Respublica, ait, est res populi, cum bene et juste geritur ab uno rege, sive a paucis optimatibus, sive ab universo populo. Imo et Respublica civitatis, et quaelibet politia Respublica dicitur, uti Respublica Atheniensium, Lacedaemoniorum, et Hebraeorum et Romanorum, quorum plerique etiam suis regibus non caruerunt. Sic usurpat etiam Pet. Greg. *lib. 1. c. 1. n. 6. 11. de Rep.* Aristot. aliter accipit *lib. 3. polit. c. 4.* Plane in jure vox Respublica promiscue accipitur, *tot. tit. C. de jure Reip. lib. 1.* ubi Bartol. *l. bona civitatis. de verb. sign. l. sed et si. §. 1. de public. et vect.* modo pro toto et universo populo Romano, Novell. *1.* modo pro civitate Romana, *d. l. bona civit.* modo pro qualibet civitate, *l. eum qui vectigal. de verb. sign.* modo pro quolibet municipio et castro, *l. sed si. §. 1. de public. et vect.* Los. *c. 2. num. 35. et seqq. part. 1. de jure univers et part. 3. c. 18.* Quam varie accipiatur, vide in *l. 2. 3. et seqq. C. de rest. milit.* et eorum, qui Reipublicae causa absunt, *l. 5. mancip. C. de serv. fug. l. 10. siquidem. C. de injur. l. 3. C. qui pot. in pign. l. 23. C. de evict.* Vide Jason. in *l. ult. inter. num. 15. C. de sac. eccles.* ut praeteream hic plures textus.

**Plane etymologia Reipublicae et regni arguit, utrumque symbioticae huic universali posse attribui: et quid obstat, quo minus eadem vox possit et proprie et tropice usurpari. Los. d. c. 2. part. 1. et c. 18. part. 3. de jure univers.**